

BIBLIOTECÆ  
CASUS  
DE SACRAMENTO ORDINIS  
SEU

*De materia, de Ministro et subjecto Ordinis, tum ratione validitatis  
tum ratione liceitatis.*

CASUS I.

ORDINIS MATERIA.

1º VITALIS, ordinandus Sacerdos, studiose curat ut omnia adimpleat quæ ad sacram ordinationem ex parte sua requiruntur. Quando autem devenit ad instrumenta Ordinis tangenda, tetigit quidem immediate et physice hostiam, conatusque est tangere immediate Patenam, sed dubitat an hanc immediate tetigerit; hinc ab aliquot annis ejus animum pulsat hæc anxia cogitatio: Forte non es ordinatus Sacerdos! forte invalide consecras, invalide absolvis!...

2º BASILIUS, magister ceremoniarum in ordinatione, dum quinque ordinandi Diaconi ad tangendum librum advocarentur, advertit ultimum extensisse quidem dextram, sed ob distantiam non realiter tetigisse, et cum aliis recessisse. Tunc jubet eum mox redire, et realiter tangere. Subinde, peracta sacra cæremonia, exorta est controversia an necesse fuerit hunc revocare.

HINC:

- QUÆR. 1º Quænam sit materia sacrorum Ordinum?  
2º An requiratur tactus physicus instrumentorum?  
3º Quid ad utrumque casum?

SOLUTIO:

811. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Materia sacrorum Ordinum est:

1º Pro Sacerdotio, impositio manuum et traditio Calicis cum vino, et Patenæ cum hostia superposita, saltem de præcepto; an vero de essentia, controvertitur. Apud Græcos prior adhibetur.

2º Pro Diaconatu, impositio manuum et traditio libri Evangeliorum. De necessitate utriusque pariter disputatur.

3º Pro Subdiaconatu, traditio Calicis vacui cum Patena vacua, et traditio libri Epistolarum; neque constat an utraque sit essentialis. V. Comp. n. 700, 701. S. Lig. n. 739.

812. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Controv. Citatur quidem pro sententia negante Decisio S. C. Rit. die 3 Dec. 1661, apud Gardellini, *Decreta authentica*, t. 1, p. 364, n. 2143, verum hinc non dirimitur quæstio, nam Decisio de illo agit, qui calicem dumtaxat, non autem cætera instrumenta, tactu physico non contigit. In dubio igitur, pars tutior sequenda est. V. Comp. n. 702.

813. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. — Ad 1<sup>m</sup> casum. Pacem bonam habeat

VITALIS, quia satis est quod immediate hostiam tetigerit, etiam in sententia eorum qui tactum physicum instrumentorum requirunt; hostia enim et vinum sunt materia substantialis Sacerdotii, quibus principaliter significatur potestas in corpus Christi, et propter solam decentiam ex præcepto Ecclesiæ Calix et Patena usurpantur. *Gobat*, n. 109.

Ad 2<sup>m</sup> casum. Diaconus ille fuit necessario revocandus, ut librum Evangeliorum physice tangeret. Hoc ex modo dictis sequitur.

CASUS II.

DUPLEX ORDINANTIS ERROR.

GREGORIUS, Episcopus, JUVENALI, ordinando in Subdiaconum, porrexit, nescio quo casu, aut cujus incuria, Calicem cum vino et Patena vacua; e contrario MARCO ad Sacerdotium advehendo tradidit Calicem vacuum cum Patena et hostia superposita. Cum autem magister cæremoniarium ad errorem advertisset, dubitatum est utrum iteranda foret præfata cæremonia.

HINC:

- QUÆR. 1º An JUVENALIS valide ordinatus fuerit Subdiaconus?  
2º An MARCUS valide ordinatus fuerit Sacerdos?

SOLUTIO:

814. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. JUVENALIS valide Subdiaconatum suscepit. Ratio est, quia Episcopus per traditionem Calicis sufficienter significavit et expressit potestatem Subdiacono conferendam. Nec obstat quod vinum in Calice suffusum fuerit; hoc enim ut mere per accidens habendum est, juxta axiomam: *Quod abundat non vitiat; vel juxta regulam Juris 37, in 6º: Utile per inutile non vitiatur.*

815. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. MARCUS invalide ad Sacerdotium promotus est saltem *probabiliter*: quia non sufficienter expressa fuit potestas consequendi Sanguinem Christi. Itaque, cum hæc in collatione Presbyteratus necessario significanda et exprimenda sit, consequenter cæremonia traditionis Calicis iteranda fuit. Quod si interruptio moralis intercesserit, tota ordinatio erat repetenda. *Elbel*, n. 27. — *Gobat*, n. 98.

CASUS III.

MINISTER ORDINIS.

1º HELLADIUS, Episcopus, senio et in valetudine gravatus, nequit nisi difficillime vacare simul Missæ dicendæ et conferendis Ordinibus, solos tamen Ordines conferre valet. Quid faciet? Id consilii capessit. Rogat Vicarium Generalem ut Sacrum faciat, et prævias recitet orationes; ipse vero ea omnia, quæ ad Ordines essentialiter spectant, peragit.

2º NATALIS, Diaconus, iter trium dierum suscepit, ut ad civitatem perveniret ante sabbatum Quatuor Temporum, Ordinis Presbyteratus recipiendi causa. Sed variis detentus impedimentis, non advenit nisi ipso sab-

bato, hora decima matutina, scilicet jam absoluto Sacro. Perfecta erat generalis ordinatio. Nihilominus NATALIS enixe rogavit Episcopum ut in sui gratiam, spectata itineris difficultate, ordinationem iterare vellet. Jussit itaque Episcopus ut unus e neo-Sacerdotibus Sacrum faceret, dum ipse Sacerdotium novo huic candidato conferret.

HINC :

- QUÆR. 1º Quid de ratione agendi HELLADII in primo casu?  
2º An licita fuerit ordinatio NATALIS in secundo casu?

SOLUTIO :

816. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. HELLADIUS, Episcopus, valide quidem Ordines contulit, cum ea quæ ad ordinationem essentialia sunt adhibuerit; sed, per se loquendo, illicite egit, alteri celebrationem Missæ committendo, contra Ecclesiæ consuetudinem et Pontificalis Rubricam, necnon contra doctrinam omnium Canonistarum, qui docent Missam ab Episcopo ordinante celebrandam esse, innitentes in cap. *Quod sicut....., § Super eo...* Itaque HELLADIUS, senio confectus, non valens Missam simul celebrare et Ordines conferre, neque facile alium Episcopum accersere, debuissest a Summo Pontifice dispensationem a lege Ecclesiæ impetrare.

Dixi per se loquendo, quia, accidente gravissima causa quæ prævideri non potuit, lex præfata Ecclesiæ cessare censeretur : v. g. si Episcopus hujusmodi infirmitate corriperetur instantे Quatuor Temporum ordinatione, dum multi ordinandi ex variis locis, sat dissitis, congregati sacros Ordines requirunt, nec adesset aliis Episcopus qui sacram Ordinationem obire posset : tunc enim propter magna incommoda quæ evenirent, si candidati sacris Ordinibus non insigniti dimitterentur, absque scrupulo epikeia sane uti licitum foret. *Gobat, n. 254.* Cæterum, hodie rarissime casus occurrere potest, cum tam cito facultas ordinandi extra tempora obtineri possit.

817. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. De validitate ordinacionis NATALIS minime ambigendum est, cum Episcopus materiam et formam Sacramenti propriam adhibuerit; verum Episcopus ille omnino illicite Ordinem Presbyteratus prædicto Diacono contulit. Ratio est, quia prætermisit sine sufficiente causa præceptum Ecclesiæ de Missa ab ipso ordinante celebranda, ut jam ad 1<sup>m</sup> casum dictum est. *Gobat, n. 260.* Præterea egit contra Ecclesiæ consuetudinem injungendo neo-Sacerdoti modo ordinato ut Missam hac ipsa die celebraret, et prouinde denuo consecraret et communicaret. Etenim pro commodo unius ordinandi tanta derogatio consuetudini et præscriptioni Ecclesiæ non erat admittenda.

#### CASUS IV.

##### CANDIDATUS DOLOSE ORDINATUS.

THEODORUS, ad Sacerdotium candidatus, in examine doctrinæ reprobatus, nihilominus dolose se cum aliis insinuavit ad ordinationem susci-

piendam. Declarat publice Episcopus, rei ignarus, se non intendere ordinare eos qui legitime admissi non fuissent. THEODORUS, hoc non obstante, cum aliis ordinandis accedit, et sacram Ordinem suscipit.

HINC :

- QUÆR. An valida fuerit ordinatio THEODORI?

SOLUTIO :

818. — R. ad Quæs. 1º THEODORUS fuit invalide ordinatus, si Episcopus habuit absolutam voluntatem, ut in casu, nec eam ne implicite quidem retractaverit cum ad ordinationes singulorum devenit. Ratio est, quia intentio Ministri ad valorem Sacramenti omnino necessaria est. Graviter autem peccaret Episcopus, si revera non intenderet Ordines actu petentibus Sacramentum conferre, quia ageret contra generalem Episcoporum consuetudinem, et occasionem gravissimorum peccatorum daret.

819. — 2º Valida autem fuit ordinatio THEODORI, si Episcopus intendit solam communionem facere ad indignos a sacris Ordinibus arcendos. In dubio vero utrum Episcopus ita loquens habeat omnino intentionem non ordinandi præsumendum est non habere, quia dubia in meliore partem interpretanda sunt. Tutius tamen foret in praxi ipsum episcopum de propria intentione interrogare. Quod si ipse dubius esset, ordinatio conditio-  
naliter iteranda foret, modo candidatus in meliore frugem sese receperit.  
*Pontas, verbo Ordres, cas. 30.*

#### CASUS V.

##### MINISTER RATIONE JURISDICTIONIS 1º.

1º THEOPHILUS, Lugduni natus, perrexit Tolosam ut perpetuo ibi habaret, et ibi ab Ordinario loci absque litteris dimissoriis ordinatus est, licet a parvo tempore ibi degeret.

2º NILUS, Burdigalæ natus, dn̄m ejus parentes ad modicum tempus, alicujus negotii peragendi causa, ibi degerent, postea educatus fuit Tolosæ, ubi prius habitabant genitores, et quo, mense elapso, reversi sunt. Perfecto autem studiorum curriculo, NILUS ad Ordines candidatus nescit a quonam Episcopo ordinari possit; sed mox dubium solvit Archiepiscopum Burdigensem adeundo, et ab ipso ordinationem requirendo. Sed repulsam passus est.

HINC :

- QUÆR. 1º Quisnam censendus sit proprius ordinandi Episcopus?  
2º Quinam litteras dimissorias concedere possint?  
3º An THEOPHILUS in primo casu licite ordinatus fuerit?  
4º An valida fuisse ordinatio NILI in secundo casu?

SOLUTIO :

820. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Triplici titulo ordinandus potest esse subditus Episcopi, ita ut ab eo licite ordinari possit : nempe titulo nativitatis, domicili et beneficii. Additur etiam quartus titulus, nempe familiaritatis,

vi cuius Episcopus familiarem suum ordinare potest, si per triennium eum secum habuerit. *V. Comp. n. 706.*

821. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* Solus ordinandi Episcopus, sive per se, sive per Vicarios generales. Sede autem vacante, Capitulum hac facultate gaudet, anno a die vacationis elapso. *Comp. n. 707.*

*R. ad 3<sup>m</sup> Quæs.* THEOPHILUS licite ab Archiepiscopo Tolosano ordinatus fuit, *título scilicet domicilii.* Ratio enim domicilii ipso facto contrahitur per mentem alicubi commorandi, sive perpetuo, sive diurno tempore, lege determinato, et quod vulgo decennium excedit. *Ita communiter Canonistæ, teste Pontas, verbo Ordres, cas. 7.*

822. — *R. ad 4<sup>m</sup> Quæs.* NILUS illicite ab Archiepiscopo Burdigalensi ordinatus fuisset. Ratio est, quia spectari nequit ut locus originis, diœcesis in qua quis ex fortuita occasione, v. g. itineris matris, officii vel negotii parentum, nascitur. *Ex Decr. Inn. XII, 14 Nov. 1694.* Quapropter NILUS Tolosæ ordinandus erat. *Collet, Tract. de Ordine, et in editione Pontas, verbo Ordres, cas. 1.* — *Reuter, n. 456.* — *Lacroix, n. 2169.*

#### CASUS VI.

##### MINISTER RATIONE JURISDICTIONIS 2<sup>o</sup>.

1<sup>o</sup> SIAGRIUS, Parisiis natus, se familiarem in munere scribæ addixit ROMARICO, Episcopo alterius diœcesis, et per quatuor annos ipsi inserviit, quibus elapsis, ab eodem minores Ordines et Subdiaconatum accepit. Mortuo autem hoc Episcopo, apud ejus successorem remansit, a quo postulavit anno sequenti, ut Diaconus et Presbyter ordinaretur quin litteras missorias ab Episcopo originis obtinuerit. Sed ab eo non fuit auditus.

2<sup>o</sup> MARCUS inserviit BASILIO, Vicario generali, duobus annis. Postea autem, cum BASILIUS Episcopus alterius diœcesis evasisset, eum secum adduxit, et anno elapso ad Ordinem promovit.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An SIAGRIUS a ROMARICO, Episcopo, licite ordinatus fuerit?  
2<sup>o</sup> Quid de ordinatione MARCI dicendum?

SOLUTIO :

823. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* SIAGRIUS licite Ordines minores et Subdiaconatum accepit ab illo Episcopo, cui per quatuor annos inservivit, ratione tituli familiaritatis. Sed illicite Diaconus et Presbyter ab ejus successore ordinatus fuisset, quia Episcopus successor privilegio prædecessoris sui minime gaudebat. Potuisse tamen licite ab hoc Episcopo ordinari, si mentem habuisset ibidem permanendi, quia tunc ratio domicilii intervenisset. *Pontas, ibid. cas. 3.*

824. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* MARCUS etiam licite ordinatus est. Imo satis fuisset, si tribus annis BASILIO inserviisset antequam hic ad Episcopatum promotus fuisset; quia eodem modo BASILIUS mores candidati, familiaris sui, cognoscere potuisset. Sic pluries a *S. Cong.* decisum fuit, ut testatur *Collet in edit. Pontas, cas. 4.*

#### CASUS VII.

##### SUBJECTUM ORDINIS.

1<sup>o</sup> LUCIANUS, prava consuetudine secreto peccandi irretitus, jam emenso theologiæ curriculo, advocatur a Superioribus ad Ordinem Subdiaconatus recipiendum. Obstat primum Confessarius, sed postea lacrymis et signis pœnitentiae indubuis LUCIANI victus, eum beneficio absolutionis donat, eique permittit ut promoveatur.

2<sup>o</sup> POSTHUMIUS, scrupulosus, dum ordinandus esset Sacerdos, timens ne in statu peccati mortalis versaretur, non habuit intentionem Ordines suscipiendi, ut ipse ait, ne sacrilegium patraret. Attamen omnibus cæremoniis interfuit, et omnia sicut cæteri peregit. Finita autem ordinatione, putat se non esse ordinatum, et Missam celebrare non vult.

HINC :

QUÆR. 1<sup>o</sup> An LUCIANUS potuerit admitti a Confessario in primo casu?  
2<sup>o</sup> An POSTHUMIUS valide ordinatus censeri debeat? Et quid ipsi dicendum sit?

SOLUTIO :

825. — *R. ad 1<sup>m</sup> Quæs.* LUCIANUS admitti non potuit a Confessario ad Subdiaconatum recipiendum, saltem generatim loquendo. Non sufficit enim quod consuetudinarius in peccato turpi contritus et absolutione dignus videatur, ut accessus ad Ordinem sacrum ei permittatur; sed requiritur insuper ut per emendationem, seu per temporis experimentum, probet se posse continentiam colere. *S. Lig. de Sacr. n. 64.* — *V. Comp. n. 718.*

826. — *R. ad 2<sup>m</sup> Quæs.* 1<sup>o</sup> Si certo constaret Posthumium intentionem suam revocasse, ejus ordinatio invalida judicanda foret, defectu voluntatis ex parte Ordinem suscipientis.

2<sup>o</sup> Secus vero dicendum videtur, si non certo constet de intentionis revocatione, ex parte Posthumii. Id colligitur ex eo quod voluntarie accesserit ad ordinationem et, sicut cæteri, omnibus cæremoniis interfuerit. Licet enim sibi videatur revocasse intentionem suam non est tamen verisimile quod serio, efficaciter et deliberate eam revocaverit.

827. — Quapropter, quemadmodum vere scrupulosi sèpissime putant se consensisse in peccatum, ubi tamen consensum nunquam præbuerunt, ita sane Posthumius noster, utpote valde scrupulosus, visus est sibi revocasse intentionem, licet eam minime revocaverit. Præterea, utquid intentionem revocasset sacrilegii vitandi causa? Nonne plane scivit, ut neminem nisi mente captum fugit, majus sacrilegium committi Sacramenti receptionem simulando, quam illud in statu peccati recipiendo? Igitur in praxi Posthumius minime inquietus esse debet. *Ita Elbel, n. 24.* Attamen, cum scrupulosus non semper rationem sequatur, remanere potest aliquis ambigendi locus; hinc tutius erit rem Episcopo subjicere, qui Ordinem sub conditione iterabit, si id expedire sibi videbitur.

## CASUS VIII.

## SUBJECTUM RATIONE ÆTATIS.

1º PASCASIUS, Diaconus, cupit ordinationem Presbyteratus suscipere; sed pridie ordinationis publicæ advertit sibi deesse diem unam ad ætatem viginti quatuor annorum complendam. Inde graviter dubitat an propterea promoveri nequeat. Procedit tamen hoc innixus principio : *Parum pro nihilo reputatur.*

2º HYACINTHUS, Religiosus, licet deessent octo dies ad ætatem viginti quatuor annorum complendam, jubente Superiore, suscepit Presbyteratum. Dubitat proinde utrum non suspensionem incurrerit, et celebrando post suspensionem irregularis evaserit.

HINC :

QUÆR. 1º Qualis ætas ad singulos Ordines requiratur?

2º An PASCASIUS licite ordinatus fuerit? An suspensionem incurrerit?

3º An HYACINTHUS reapse suspensus et irregularis factus sit?

SOLUTIO :

828. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. Ad Subdiaconatum requiritur vigesimus secundus ætatis annus; ad Diaconatum, annus vigesimus tertius; ad Presbyteratum, annus vigesimus quintus. Sufficit autem, juxta communem Theologorum interpretationem, ut annus præscriptus incepitus sit. *S. Lig. n. 799.*

829. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. PASCASIUS illicite Ordinem Presbyteratus suscepit, et proinde irregularitate innodatus est, quia Ordinem suscepit anno requisito non integre completo. Quare falso applicavit principium : *Parum pro nihilo reputatur.* Tempus enim præscriptum physice, non moraliter habendum est, quia secus limites ætatis requisitæ determinari non possent. Etenim, si attendendum non sit ad unam diem, quare non ad alteram, vel tertiam, etc.? imo nec admittitur Episcopum pro tam exigua temporis parte dispensationem concedere posse. *Gobat, n. 528-531.*

830. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. Dist. Vel HYACINTHUS in bona fide versatus est, confidendo scilicet in auctoritate Prælati sui, utpote doctioris, vel e contrario eum non latuit Superiorem suum errare. Si prius, pœnas ecclesiasticas minime incurrit; secus vero, si posterius. *Gobat, n. 520.*

## CASUS IX.

## INTERSTITIA.

1º JOVINUS, ad Subdiaconatum promotus in Quatuor Temporibus Aventus, seclusa dispensatione qualibet, accessit ad Diaconatum suscipendum sequentibus Quatuor Temporibus, et in Quatuor Temporibus Pentecostes ad Ordinem Presbyteratus promotus est.

2º LAMBERTUS, Religiosus, venit e suo conventu, dissito itinere unius diei, feria sexta Quatuor Temporum, ad urbem in qua celebranda erat postridie solemnis ordinatio. Venit autem serius, ita ut non potuerit insigniri quatuor minoribus Ordinibus quos recepturus erat, et qui ideo differendi fuere in diem sequentem. Verum percupiebat illo sequenti die promoveri ad Ordinem Subdiaconatus. At dubitatum est utrum, eodem die, tum Ordines minores, tum Subdiaconatum suscipere posset. Negativa fuit solutio, et ideo, acceptis minoribus Ordinibus, ad aliud tempus pro Subdiaconatu remissus fuit.

HINC :

QUÆR. 1º Quænam sint interstitia inter diversos Ordines servanda?

2º An duo Ordines majores eodem die suscipi possint?

3º An licitum sit suscipere Ordines minores eodem die una cum Subdiaconatu?

4º Quid ad utrumque casum?

SOLUTIO :

831. — R. ad 1<sup>m</sup> Quæs. 1º Inter Ordines minores quædam servanda sunt quidem interstitia, juxta Conc. Trid. sess. 23, c. 11, *de Reform.*, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. In multis autem locis, ex consuetudine, quatuor Ordines minores eodem die conferuntur.

2º Quoad Ordines majores, sic statutum est a C. Trid. *ibid. c. 13 et 14.* Inter postremum Ordinem minorem et Subdiaconatum, unus annus intercedere debet. Item inter Subdiaconatum et Diaconatum, necnon inter Diaconatum et Presbyteratum, nisi Episcopus secus decernat. Sed, seclusa licentia S. Pontificis, Ordines sacri ab Episcopo conferri nequeunt nisi in sabbato Quatuor Temporum, vel sabbato ante Dominicam Passionis, aut Sabbato Sancto. Obtenta vero Pontificis facultate, conferri possunt singulis diebus Dominicis, vel festis de præcepto, aut quæ saltem de præcepto erant ante reductionem factam Auctoritate Apostolica.

832. — R. ad 2<sup>m</sup> Quæs. Neg. Hoc omnino prohibetur. Constat ex Jure canonico, *C. Littera, cap. Dilectus, de temp. ordin.*; necnon ex Conc. Trid. sess. 23, c. 13, *de Reform.*

833. — R. ad 3<sup>m</sup> Quæs. Affirm. Nullo enim jure scripto nec certa consuetudine probari potest id prohibitum esse. Concilium enim Trid., vetando ne plures Ordines sacri eodem die reciperenetur, de minoribus Ordinibus nihil statuit. Ergo nihil obstat quominus hi eodem die simul cum Subdiaconatu conferantur. Ita multi Theologi cum *Gobat, n. 641 contra plures.*

834. — R. ad 4<sup>m</sup> Quæs. 1º JOVINUS non potuit accedere ad Diaconatum et Presbyteratum his Quatuor Temporibus sibi immediate subsequentibus, ut in casu, sine dispensatione Episcopi, quæ facile conceditur. Sequitur ex dictis. 2º LAMBERTUS bene potuisse admitti ad Ordinem Subdiaconatus suscipendum eodem die quo Ordinibus minoribus insignitus fuit, ut modo dictum est.